

missi. Et ego gloriam quam dedisti mihi dedi eis; ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in ipso, & tu in me: ut sint perfecti in unum: ut mundus cognoscat quia tu in me missi. Hoc qua ratione fieri possit, ut & nos unum cum ipso, & inter nos quoque unum sumus, copiose explicat S. Cyrillus Alexand. thesauri sui lib. 3. cap. 1. Ineffabiliter, inquit, ipse ex patre est, & naturaliter unum cum ipso, non sicuti nos gratia & participatione; veluti ferrum cum ignitum fuerit, & ignis participatione. Et iterum, Non natura, inquit, nostra omissa, ad Dei naturam mutatur: sed unum esse cum Deo dicimur, quia participes eius sumus. In hoc, inquit Ioannes, cognoscimus quia in ipso manemus, & ipse in nobis: quia ex Spiritu suo dedit nobis. Idem Ioannes alibi scribit: Quicumque confitebitur quia Iesus est Filius Dei, Deus in ipso manet, & ipse in Deo. Non est ambiguum igitur homines gratia & dono unum esse cum Deo: & propter fidem & confessionem huiusmodi; donum hoc diuinitus accipere. Et iterum Cyrillus fidei & charitati illam vnionem tribuit. At enim; inquit, si quis naturalem coniunctionem nobis cum filio Dei futuram arbitrat, vehementer errat; impossibilia fingens: nam si dicere voluisset, natura nos unum cum filio fore, dixisset profecto, ut unum ipsi mecum sint, quemadmodum ego tecum; nunc vero non ita dicit, sed plurali numero vtitur, *ut sicut ego & tu unum sumus, sic & ipsi unum in nobis sint.* Ita clarè docet, non natura cum Deo nos coniungi, quod impossibile est: sed posse fide & charitate, quum ad exemplar vnitatis naturalis Patris & filij nitimur, unum vnitate voluntatum fieri, quod ipsi & Patri naturæ inest vnitate. Deinde pluribus explicat, quomodo Christus Dominus Patrem, seque nobis in exemplum vnitatis proponat, & ad inuitandum studiosè cohortetur: quod non aliter quàm voluntatum consensione, atque concordia fieri posse docet. Illud vero quod à Domino præterea dictum est, *ut in nobis unum sint.* Sic interpretatur, ut intelligat in nomine, virtutèque Patris & filij admirabilem illum tanquam animorum concetum, siue *coniunctionem*, conspirationemve fieri & conciliari. Itaque ex Sancti Cyrilli sententia, nos unum cum Deo fieri, non est aliud, quam eiusdem maximo beneficio in illum credere, & diuina quadam charitate copulari. Nos autem inter nos pariter unum esse, idem sentire est, idem velle, quod sine eiusdem gratia obtineri nequit.

S. Cyrillus Alex. thesauri lib. 3. cap. 1. Qualis vnitas in nobis sit comparatione diuinitatis vnitati S. Cyrillus abundè explicat.

Summa dihorum S. Cyrilli.

De triplici ratione vnitatis cum Deo.

TA M E T S I V E R O quæ hæcenus cū ex Origene, tum ex S. Gregorio, maximè autem ex S. Cyrillo in medium attulimus, satis esse videri possint, ut quis percipiat, quid sit quod cum Deo nobis in vnitate conueniat, & qua ratione plures in unum coalescamus, vel etiam nos ipsi vni sumus: attamen in gratiam eorum, qui in rebus difficilibus explicandis disciplinæ ordinem seruari volunt, rem totam à princi-

pio diligentius exequemur. Ac primū quidem de illa, quæ nobis cum Deo intercedit, vnitate differemus: secundum eam, de reliquis suo ordine dicturi. Est autem triplex ratio vnitatis, scilicet naturæ, æqualitatis, & similitudinis, quemadmodum à Philosophis acceptum; prima quæ dicitur naturæ, ad Categoriā substantiæ pertinet, dicta idem vnitas. Hanc absolute S. Cyrillus negauit, neque profus admittenda est, quanquam vnio aliqua negari nõ possit: nam hæc iungit tantum, illa etiam in aliud conuertit, quod sperare nefas est; at ea quæ æqualitati tribuitur, ad quantitatem spectat, nec vnus generis est. Nam ea aut in Arithmetica proportione posita est, aut certe Geometrica. Geometrica proinus excludimus, non solum quia ab æqualitate circumscribitur: sed etiam quia finiti ad infinitum nulla proportio. Excelsior celo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari. Non poterit igitur homo auctori suo exæquari. Quanquam, ut verum fatear, si mentem à corporis contemplatione ad rerum spiritualium cogitationem traducamus, non erit nobis cum Deo proportio siue comparatio cuiusmodi cūque deneganda: fundamentum enim nostrum non vno loco se nominat: item lapidem angularem, murum etiam & antemurale Isaiæ 26. horum verò nullum sine certa ac stabili ratione constat. Vnde & fabricandi ars necessariò inuenta est, quæ traderet fundandi extruendique scientiam: cuius nisi præcepta sapienter ac sedulo ab architectis seruata fuerint, omnis extemplo molitio corruat necesse est. Quod si cū paries leuiter attollendus est, cæmenta & lapides, quæ calce durantur, linea & perpendicularo indigent, quis putet humanam mentem cum diuina, hoc est, ima summis, absque aliqua omni analogia coherere posse? Sic igitur arbitror, quomodo in ædificiis altitudinis ad latitudinem, latitudinis ad longitudinem, singulorumque membrorum ad vniuersam fabricæ speciem, ratæ partis responsus exigitur, quod operis Symmetria dicitur: ita ad spiritualis domus ædificationem, quæ lapidibus viuus extruitur, ut Beatus Petrus auctor est 1. c. 2. quendam velut animorum cum Deo cõmensum pariter requiri, quem quia natura largiri non potest, sed totus ex Deo p̄det, à quo gratia confertur, idcirco gratiā appellari. Itaq; homo poterit vel ex hac parte in unum cū Deo conuenire. Sed iam de Arithmetica etiam collatione rationes videamus, an vllò sensu admitti valeat. Deus certè vnus est. Verum. Sed non ab illa vnitate, quæ aliquoties repetita, numerū conficiat: sed quæ summā eius nature simplicitatem duntaxat denotet. Atqui Patrem Arithmeticam, & Principem, Ducem exercitus, Pastor autem quædam

Triplex ratio vnitatis expenditur.

Vnitas quæ ab æqualitate peritur, examinatur.

Tob. c. 11.

Admittitur Geometrica proportio, & explicatur.

Item Arithmetica, & quædam